

Disputatio medica, de morborum differentiis / ... sub praesidio Dn. loh. Rudolphi Saltzmanni ... ; publici exercitii gratiâ defendere conabitur M. Andreas Schilling ... ; ad diem 20. mens. Decembr.

Contributors

Schilling, Andreas, active 1649-1651.
Saltzmann, Johann Rudolph, active 1637-1670.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Johannis Philippi Mülbus, et Josiae Staedelij, 1649.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xrvpwves>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

De

MORBORUM DIFF-
FERENTIIS,

Quam

Divinâ annuente gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

DN. IOH. RVDOLPHI
SALTZMANNI, MEDICINÆ DO-
CTORIS SEN. EXPERIENTISSIMI, AR-
chiatri Felicissimi, Inclytæ Argentoratensium Acade-
miæ Professoris celeberrimi, & pro tempore Faculta-
tis Medicæ Decani spectabilis, Præceptoris sui
observanter colendi.

Publici exercitii gratiâ defendere conabitur

M. ANDREAS SCHILLERUS
Argentinenfis.

Ad Diem 20. Mens. Decembr.

Horis Locoque solitis.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,
ET JOSIÆ STÄDELI,

Anno M. DC. XLIX.




V I R I S

AMPLISSIMIS , PRU-
DENTISSIMIS, EXPE-
RIENTISSIMIS, ADMODUM
REV. CONSULTISSIMIS PRÆFE-
CTIS STIPENDII SCHENCKBECH-
RIANI APUD ARGENTORATENSES
DIGNISSIMIS.

*Dominis Meccænatibus, Præceptoribus,
Patronis & Fautoribus suis æterna gratitudinis
memoria prosequendis.*

Hanc de Morborum Differentiis dis-
sertationem in observantiæ symbolum in-
scribit.

M. Andreas Schilling.



DISPUTATIO MEDICA,

De

MORBORVM DIFF- FERENTIIS.

Duo sunt potissimum in Medicina, ad quæ actiones suas dirigere solet Medicus, idque diverso omnino modo, siquidem alterum ubi præsens fuerit, conservare, & confirmare, ubi vero à corpore recesserit, & abfuerit, revocare, & restituere nititur, atque hoc Sanitas est. Alterum vero præsens in corpore humano si fuerit, id omnibus modis, & quantum fieri potest celerrime, ex eodem expellere, & ablegare, absenti vero obicem obicere, atque ne in corpus se insinuet, idque occupet, & corrumpat. resistere, corpusque ab eo immune reddere conatur, & hoc Morbus est; Quemadmodum enim sanitas corpus humanum integrum, & illæsum, atque ad omnes actiones vegetum & promptum facit: ut quæ iuxta *Galen. de diff. morbor. cap. 2. & de diff. sympt. c. 1.* in naturali omnium corporis partium constitutione consistit, à qua, tanquam à causa, agendi facultas dependet, ita Morbus id à naturali suo statu deiicit, & ad actiones obeundas ineptum facit. Quo etiam nomine Medicus illam, *sanitatem scil.* omnibus viribus, non conservare modo, sed & restituere, corpusque à morbis præservare, & tutum reddere studet. Hunc vero, *Morbum nimirum* proscribere,
A & ex.

& extra fines corporis expellere, & profligare nititur. Hic vero, cum varie se transformare, atque multiplicibus modis corpori & sanitati insidias struere, & ut eam ex arte sua eiicere, & fugare, arcemque eius occupare possit tentare; atque in varias formas se transfigurare, & tam aperto Marte, quam clanculum corpori insidias struere soleat, rechnas & multiplices eius modos hoc loco inquirere, atque quot & quibus modis se transformare soleat, investigare, & differencias eius explicare conabimur.

THESIS I.

ANtequam autem ad ipsius rei tractationem accedamus, antea omnia, ut de qua re sermo instituat, sciri possit, eam primo omnium describemus. Est autem ea, ut ex antecedentibus patet, Morbus, qui Græcis νόσος & νόσος: interdum generali vocabulo πάθος, seu πάθημα passio, vel affectus dicitur: licet passio ab affectu, & πάθος ἀπὸ τοῦ νόσου differre videatur, de quo alias.

II.

Definitur autem Morbus, quod sit affectus seu διάθεσις, dispositio corporis præter naturam, actiones eius primo ladens, cum enim in dispositione corporis naturali, sanitas consistat, Morbus autem sanitati contrarius sit, in dispositione etiam corporis, sed illi contraria consistat, oportet.

III.

Tot itaque prima erunt Morborum genera ac differentia, quot sunt in corpore dispositiones generales partium, ut Galen. demonstr. de diff. morb. dum dicit. Si quot modis corpora à naturali habitu recedunt, naturalesque functiones perficere nequeunt inveneris, simplicium in universum numerum morborum deprehendes. Constituitur autem corpus ex partibus tum similaribus, tum dissimilaribus seu organis. Partes similares ex primis componuntur elementis, calido, frigido, humido, & sicco: horum autem mixtionem elementorum proxime sequitur temperamentum, atque hoc pro varia elementorum mixtione etiam variat, & plures differentias constituit.

IV. Tum

IV.

Tum autem sana, & bene constituta dicitur quælibet pars, cum iustam, & sibi convenientem primarum qualitatum moderationem, & *συμμετρίαν* accepit. Contra vero morbus esse dicitur, ubi vitium aliquod committitur, & vel una, vel duæ qualitates modum excedunt, & partis temperamentum conveniens pervertunt, atque quemadmodum prior *συμμετρία* temperies temperata dicitur, ita posterior intemperies, & morbus intemperiei vocatur. atque inde prima resultat differentia morborum, quæ Morbos similes complectitur.

V.

Alteram Morborum differentiam, partium dissimilariarum seu organicarum, constituit earundem dispositio; cum enim ut pars recte actionem perficere possit, iustam, & convenientem habeat compositionem oporteat, & tum etiam sana sit. E contra vero, ubi vitium aliquod in compositione committitur, Morbus fit, & partis actio impediatur. Ad perfectam autem organicæ partis constitutionem, quatuor requirantur, Conformatio, Magnitudo, Numerus, Situs; in his etiam omnes organici inde dicti Morbi comprehenduntur, qui etiam plures sunt, ut postea patebit.

VI.

His duobus summis Morborum generibus seu differentiis, addit Gal. & alii tertium, commune dictum, quod & similaribus & organicis partibus commune sit. Cum enim tam similes, quam organicæ partes continuæ esse debeant, ut unam constituent partem, hæc unitas seu continuitas si solvatur, Morbus oritur unitatis, seu continui solutio dictus: cuius etiam sunt plures species & differentia.

VII.

Cum itaque in his tribus *temperamento* sc. *conformatione* & *unionem* sanitas consistat; si alterutrum horum à moderatione recesserit, Morbus erit, unde tria prima, & summa morborum genera seu differentia oriuntur, quæ in alias iterum (*uti dictum est*) differentias, pro diversa constitutione subdividuntur. Est primo quidem *δυσμετρία* seu intemperies, quæ similarium partium propria est, pro ratione primarum qualitatum elementorum, ex quibus constant, simplex est, in qua una tantum qualitas reliquas superat, & dominium habet, estque quadruplex, *calida*, *frigida*, *hu-*

*mida, sicca. Deinde composita eaque iterum quadruplex, prout
duæ ex dictis qualitatibus simul superare possunt, ut calida & hu-
mida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca.*

VIII.

Atque hæ differentiæ iterum sunt duplices, utraque enim
vel est *sine materia* & simplex qualitas, cui nullus humor nullave
materia iuncta est: ut si pars aliqua, *vel à solis æstu, vel igne, vel alia*
ratione præter modum incalcescat, & immaterialis vocatur, *vel in-*
temperies sine materia, seu nuda: Quod si vero simul materia ali-
qua, quæ & ipsa intemperata est, ad partem aliquam affluat, vel in
ea colligatur, eamque afficiat, & intemperiem inducat; oritur in-
temperies cum materia, *vel materialis*: Quæ etiam omnium est
frequentissima.

IX.

Intemperies autem cum materia, vel unum tantum humorem
iunctum habet, & *vel sanguinem, quæ in humoribus phlegmone*
vocatur, vel bilem & erysipelas, vel melancholiam & scirrhus, vel
pituitam & ædema: vel serum & sudamina dicuntur; cum ab
uno & simplici humore proveniat, simplex dici potest, quemad-
modum altera composita, quæ duos vel plures simul concurrentes
habet, & tum etiam ab eo qui reliquos superat, nominatur, cogno-
men v. ab eo qui post hunc maior est denominatur. ut est *Phlegmo-*
ne Erysipelatodes, adematodes, scirrholes, & sic de reliquis.

X.

Præterea etiam *intemperies alia æqualis* est, quæ partem quam
obsidet uno eodemque modo, & æqualiter afficit, & alterat, *alia*
inequalis, quæ in una, *vel membri, vel universi corporis parte in-*
tensior est, in altera remissior, vel in una hæc, in altera alia sentia-
tur temperies.

XI.

Atque hi sunt morbi manifestarum qualitatum, seu à mani-
festis qualitatibus deducti: sunt autem & alii, qui & ipsi partibus
similaribus adscribuntur, & ab autoribus morbi occultarum qua-
litatum, *seu ut aliis placet morbi totius substantiæ dicuntur*: ut
quorum actio seu læsio ad primas qualitates referri non potest, &
ita etiam ad dictas similarium morborum differentias non perti-
nent, sed ab occultis, & iis qualitatibus oriuntur, quarum nos ratio-
nem & naturam explicare, & indagare non possumus: ut est *Pestis,*

ὁμοιοπαθία, & similes affectus, de quorū morborum genere, etsi plura ab autoribus, eaque non parum discrepantia prodita sint, malumus ea ad amicam collationem differre, quam thesium modum excedere.

XII.

Sunt itaque Morbi partium similarium, seu intemperiei primo duplices, vel qui à manifesta causa fiunt, & manifestæ qualitatis morbi sunt. vel ab occultis qualitatibus excitantur, unde etiam occultarum qualitatū seu totius substantiæ morbi dicuntur, quorum species seu genera explicare non licet, uti etiam neque à priori seu ab ipsa causa, sed à posteriori, atque ab ipso effectu innotescunt.

XII.

Fernelius tamen horum occultorum morborum, tres facit species, dum alios venenatos vocat, qui ex veneno aut intus genito, aut assumpto fiunt; alios contagiosos qui ab externi alicuius veneni, vel malignitatis occurso oriuntur, alios pestilentes qui ex aere, cœlestium corporum viribus inquinato sciscitantur.

XIV.

Morbi organiciseu partium dissimilarium, vel organicarum, qui & compositionis dicuntur, pro varia partium consideratione, in varias etiam differentias dividuntur. Consideratur autem pars organica (ut supra dictum fuit) vel ratione conformationis, vel numeri, vel magnitudinis, vel situs & cohæisionis: hæc enim ad organi perfectionem necessario requiruntur: ut ita quatuor sint morborum organicorum species seu differentiæ, morbi scil. conformationis, magnitudinis, numeri, situs & cohæisionis.

XV.

Hæ autem differentiæ in alias iterum subdividuntur, atque ut conformatio in tribus consistit, quibus etiam lædi potest, tres inde morborum species constituuntur. Primo enim figura partis vitatur & morbus figuræ dicitur, ut si quæ recta esse debent incurvantur, & contra, ita ut actio inde lædatur, ut in varis, vaciis, sinis, gibbosis, & aliis eiusmodi, siue id à nativitate, & in utero materno, siue post accadat, videre est.

XVI.

Altera est superficies partis læsa, atque huius etiam, ut

prioris, duæ sunt species, *vel* enim ea quæ levia esse deberent exasperantur, *ut in raucedine videre est*: *vel* quæ aspera esse deberent, lævigantur, *ut in lienteria & intestinorum levitate patet.*

XVII.

Tertia ad cavitates & meatus pertinet, cuius etiam duæ sunt species, dilatatio & angustatio, seu constrictio; *Illæ* ubi cavitas & meatus aliquis magis quam naturalis eius constitutio fert, & requirit, extenditur. *Angustatio contra*, ubi ea minor, & angustior fit. Et in cavitate quidem, ubi ea, ut E. G. ventriculus, nimium dilatatur & vel ob flatum, vel alterius alicuius rei copiam distenditur; vel contra nimium angustatur & contrahitur, ob nimium usum adstringentium, vel ob inanitionem vel diuturniorem à cibo abstinentiam, vel compressionem. &c.

XVIII.

In meatibus & viis, ubi non solum vasorum & venarum atq; arteriarum meatus, sed & pori, tam cutis, quam aliarum partium, vel dilatantur & aperiuntur, vel constringuntur, vel etiam omnino occluduntur aut conivent. e. g. si venarum oscula dilatantur & aperiuntur, fit *ἀναστόμωσις*, si earum tunica rarefiant, ut sanguis transudet, fit *διαπύδνωσις*: si vero vel rumpantur, vel erodantur, vel secantur *διάρρηξις* vocatur.

XIX.

Constrictio seu angustatio pro ratione causarum nomina fortitur; *vel* enim constringuntur, & constrictio dicitur, quando à realiqua externa, instar circumiecti funis contrahuntur: *vel* à partibus vicinis, ob tumorem, *vel* aliquod externum, aut parum deprimitur, & angustior fit meatus, aut omnino comprimitur, ut meatus pereat, & compressio, atque depressio dicitur, *vel* per se subsident vasa, & subsidentia, *vel* coalitus, seu connexionis nomine venit, *vel* dum coalescunt, vel constipantur, & obstruuntur & obstructio dicitur. quorum modorum quidam etiam aliqua ratione ad magnitudinem referri posse, videntur.

XX.

Alterum morborum organicorum genus seu differentia in magitudine consistit, quæ etiam *vel* in excessu, *vel* in defectu, hoc est, in magitudine *vel* aucta, *vel* imminuta consistit. *Illæ* est, ubi moles, & magnitudo partis alicuius eo usque aucta est, ut actionem lædat,

lædat, cuius generis sunt, omnes tumores præter naturam, quorum plures sunt species, ex quibus est *hydrops, bronchocele, omphalocele, bubonocèle, & plures aliæ*, quas hic enumerare opus non est.

XXI.

Hæc seu magnitudo imminuta, vel morbus imminutæ magnitudinis apparet, ubi pars aliqua, vel etiam universum corpus à debita sua mole & magnitudine recedit, ita ut actio eius pervertatur, ut in atrophia, in tabe, in membris quibusdam mutilatis, & similibus videre est.

XXII.

Tertia organicorum morborum differentia in numero, & quidem etiam dupliciter consistit: Vel enim in numero aucto, ubi pars aliqua, cui similis ad corporis constitutionem requiritur, abundat, & numerum auget, ut sextus digitus, ubi actioni obest, & similes calculum vero in vesica, renibus, & aliis corporis partibus, item vermes, vel lumbricos in intestinis vel alibi genitos, è morborum numero excludimus: etsi enim partium numerum, tanq. aliquid corpori præter naturam additum, augere videantur, non tamen ad corporis constitutionem requiruntur: Cum sine ipsis corpus integrum sit; sint etiam substantiæ, non ut morbus accidentia, sintque res toto genere præter naturam, atque ita magis ad causas morborum, quam ad morbos pertinere videantur.

XXIII.

Alteræ huius tertii generis species est in Numero imminuto, ubi scil. pars aliqua, quæ ad corporis constitutionem requiritur, deficit: & quidem (quod etiam in aliis contingit.) vel in ipso utero, vel post partum accidit, ut si digitus, vel manus, vel pes, vel auris, vel alia similis, ablata sit, ut corpus integrum dici non possit, neque etiam omnes eius actiones perfici queant.

XXIV.

Quarta morborum organicorum differentia, in situ & hæsiōne seu cōnexionē consideratur: & in situ quidē, ubi pars quædam è loco, quem, à natura occupare deberet, movetur, eumque mutat: quod in luxationibus enterocèle, epiplocèle, omphalocèle & eiusmodi aliis manifeste apparet.

XXV.

In cohæsiōne seu cōnexionē dupliciter etiam vitium contingere:

gere potest, & primo quidem, ubi partes quæ à se invicem separatæ esse deberent coalescunt, & connectuntur, ut si manuum digiti duo vel tres in unum connectuntur, vel etiam in palpebrarum, labiorum, & ani, coalescentia evenit. Deinde ubi partes quæ connecti deberent seiunguntur, & à se invicem recedunt, ut si cutis à partibus subiectis avellatur, & recedat, ut in excoriationibus accidere solet.

XXVI.

Sequitur *tertium* morborum genus seu differentia, ea scilicet quæ & similaribus & organicis partibus accidit, unde etiam communis vocatur, & continui, seu unitatis vel contigui solutio est. Quæ tamen ab aliis distinguitur, dum aliam faciunt continui, aliã contigui solutionem, & continui solutionem dicunt, ubi ipsa substantia læditur & solvitur; contigui vero solutionem vocant, ubi partes quæ invicem cohærere deberent, à se invicem separantur, & ἀπόσπασμα appellant, quæ tamen species etiam non male ad morbos cohesionis referri posse videtur.

XXVII.

Huius autem morborum generis, plures etiam habentur species, quæ tum pro ratione subiecti, tum etiam ratione causarum variant.

XXVIII.

Pro ratione subiecti seu partium, cum aliæ sint molles, aliæ duræ, in mollibus & carnosissimis sunt, vulnera, ulcera, ruptiones, convulsiones, spasmata, In duris & osseis, fit fractura κατάγμα, caries ἰσχυρὸν &c.

XXIX.

Ratione causæ variæ, ipsi etiam morbi variantur, si materia vel causa fuerit incidens, & secans, vel pungens, in mollibus & carnosissimis in genere ἱμῆσις divisio, & est vel ἱσαίμα vulnus, vel punctura νύγμα & νύσις, in duris, ut ossibus, fit fractura κατάγμα: si fuerit acris & erodens, in carne fit ulcus, in ossibus caries; si causa fuerit gravis & dura, atque affatim irruens, in carnosissimis fit contusio, seu illusio Græcis θλάσμα seu θλάσις: in osse fractura, si vero causa fuerit tendens, & trahens, fit tensio, convulsio, ruptura, in partibus mollibus atque nervosis, Græcis ρήγμα dicta.

XXX.

XXX.

Ea vero quæ *θλάσις* seu *θλάσις* dicitur, in alias iterum species subdividitur, vel enim fit contusio, integra & æquali manente cute, & *ἐκχύρωμα* vocatur, ubi partes sub cutemolles contunduntur, cutis vero pristinam æqualitatem recipit, vel depressio seu cavitas aliqua in cute relinquitur ac *ἐνθλάσις* illisio etiam dicitur, vel ipsa etiam cutis rumpitur, & contunditur, & ipsius continuitas seu unitas solvitur, & *φλάσις* dici potest.

XXXI.

Fractura etiam suas species habet, alia enim fit secundum rectitudinem ossis, & fissura vocatur, cum os instar lignorum, & assulatim finditur unde *χωμακηδόν* dicitur, alia vero fit per transversum, & à similitudine caulium, raphanorum vel cucumerum fractorum *καυληδόν*, *ραφανηδόν* *συκκηδόν* vocatur. * alia fit per obliquum, ut partim transversa, partim recta, atque quasi ex illis composita, & *καλαμηδόν*, arundinatum facta nominatur, vel superficies tantum ossis læditur, ut instar squamarum abscedat, & *ἀπόθραυσις* seu *κατ' ἀπόθραυσιν* facta dicitur, alia denique fit dum os in minimas partes quasi conteritur & comminuitur *συντρίμμα* Galeno *καρηυδόν* vel *ἀλφειτηδόν* si præsertim farinæ instar comminutum sit os, vocatur.

XXXII.

Atque hæc sunt tria genera morborum summa, cum suis speciebus, quæ corpus humanum affligere ac molestare solent, & ad quas omnes aliæ referri possunt, licet aliquæ ad accidentales etiam pertineant. Hæ tamen omnes, etiam varie inter se commisceri solent, & ut supra de intemperiei morbis dictum fuit, vel eiusdem speciei morbi, ut morbus similis cum simili, seu intemperies cum intemperie iungitur, vel morbus organicus cum organico, ut tumor cum vitiata figura in gibbo, vel continui solutionis morbi concurrunt, ut vulnus cum ulcere, vel ulcus cum contusione.

XXXIII.

Interdum, quidem non raro diversarum specierum vel generum morbi simul & in una aliqua parte conveniunt, ut similis cum organico, vel communi, ut inflammatio cum tumore, vel cum ulcere, vel organicus cum communi, ut ulcus cum tumore, &c. vel omnes tres species coeunt, ut ulcus cum tumore & inflammatione, & sic de aliis.

XXXIV.

Præter has essentielles morborum differentias plures adhuc aliæ dantur, quæ quidem morbi speciem non mutant, sed ad conditiones aliquas seu proprietates explicandas faciunt. Desumuntur autem vel ab accidentibus, essentiali Morbi consequentibus, vel à causis, vel à subiecto, vel aliis de quib. consequenter agemus.

XXXV.

Quæ ab essentiali morbi consequentibus desumuntur, sunt *Magnitudo, Motus, Mos, & Eventus*. Atque ratione magnitudinis, morbus est magnus vel parvus, quatenus magna, vel parva habet symptomata, vel magnum vel parvum infert, seu minatur periculum, idque per se vel ex sua natura, vel ratione accidentis, vel virium ægri, vel functionis læsæ, vel denique partis affectæ, pro ut vel multum, vel parum à naturali statu recedit, ut ex se suaque natura magnus dicitur morbus, *Pestis, Febris maligna, Gangrena &c.*

XXXVI.

Ex accidente vero & ratione virium ægri, Morbus magnus dicitur, qui corpus occupat enervatum, & viribus ægri superior est. easque magis adhuc deicit: *parvus* contra qui à viribus superatur & vincitur.

XXXVII.

Ratione læsæ functionis morbus magnus dicitur, qui functionem aliquam principem & magis necessariam afficit & lædit, ut si respiratio intercipiatur, quemadmodum non raro in angina fieri solet, vel sanguificatio impediatur, ut in inflammatione hepatis, & similibus, parvus contra.

XXXVIII.

Ratione partis affectæ, magnus morbus dicitur, qui partem aliquam principem, ut cor, hepar, cerebrum, &c. occupat, ut est vulnus cordis &c.

XXXIX.

Ratione causæ, magnus dicitur morbus, qui à magna, & vehementi aliqua causa fovetur, ut si febris acuta, à plethora magna fovetur, ut quæ magnum etiam remedium, nimirum venæ sectionem indicat, parvus contra.

XL.

Atque ratione, magnus dicitur morbus, qui celeriter, & cum vehe-

vehementia movetur, & tempora morborum, principium scilicet augmentum statum & declinationem, & quidem omnia, vel quardam, cito percurrit & absolvit. & inde etiam *velceler*, *vel* *velox* vocatur. Contra dicitur tardus, lentus, & diuturnus, seu chronicus. qui tardo & lento gradu procedit, ut *Phthisis*, *Cachexia*, *Hydrops* &c.

XLI.

Inter breves etiam morbos numerantur acuti, qui simul magni sunt, dum morbus aliquis celeriter, cito, & cum vehementia movetur, & tempora percurrit. vel ut *Galen. 2. de dieb. decret. cap. 12.* habet cui motus *velox* est & subito pericula adveniunt. cuius ob motus & celeritatis variationem plures iterum sunt species, quemadmodum *Gal. d. l.* docet, ita ut *alius* sit peracuius, *alius* simpliciter acutus, *alius* acutus ἐκ μεταπτώσεως, ex transmutatione, vel ex decidentia.

XLII.

Per acutus καλός, vel exquisite per acutus est, qui omnium velocissime movetur, & citissime, atque in primo quadriduo cursum absolvit, & vel ad salutem, vel ad mortem tendit, & hic etiam exquisitissime per acutus dicitur, exquisite vero per acutus, minus celeriter movetur, & plerumque septimum attingit, eoque finitur.

XLIII.

Hoc tardius movetur ἀπὸ τοῦ ὅξους simpliciter acutus, & ad decimum quartum ut plurimum extenditur, atque exacte talis dicitur, si vero ad vigesimum usque protrahatur, simpliciter quidem, sed non exacte acutus vocatur.

XLIV.

Acuti ἐκ μεταπτώσεως, ex decidentia, his omnibus tardius moventur, & ad quadragesimum usque diem cursum suum deducunt, qui vero hunc terminum prætergrediuntur, ad longos, & diuturnos morbos referuntur, *Gal. tamen d. l.* & hos non recte acutos nominari dicit: sunt autem ἐκ μεταπτώσεως ex decidentia morbi, qui in cursu impediuntur, & aliquid intercudit, quod motum eorum retardat: ut si e. g. morbus sit peracutus simpliciter, qui septimo die finiri solet, interveniat autem aliquid, & *vel æger*, *vel* *Medicus* naturæ motum, assumpto cibo, *vel* medicamento, *vel* alio aliquo, impediat, ut postmodum tardius moveri incipiat, & ad quadragesimum usque differatur.

Ratione modi motus, morbus *alius* continuus est, qui continuo, & absque omni intermissione, usque dum finiatur, durat; ut *sunt febres continuæ*, & hæc etiam, si nullas habeant remissiones, sed continenter, uno eodemque modo & motu moveantur, continuæ quidem sed simul & continentes vocantur; quæ v. remissiones habent, continuæ quidē etiā dicuntur, sed prout remissio *vel* quotidie *vel* tertio *vel* quarto die fit, cum adiectione dicuntur, ut *continua, quotidiana, tertiana, quartana*, quod etiā in aliis morbis accidere potest.

XLVI.

Alii *ratione modi motus*, dicuntur intermittentes, qui suas intermissiones, easque perfectas habent, ita ut non raro morbus omnino cessasse, & finitus esse videatur, statuto tamen tempore recrudescit & redit, atque hi quoque suas species habent, idque etiam ut priores, *ratione moræ intermissionis*, vel reditus; alii enim, ut in Febris potissimum videre est, singulis etiam diebus exacerbantur, alii tertio, alii quarto quovis die, alii pluribus diebus, atque inde Febris E. g. nominatur intermittens quotidiana, tertiana, quartana &c.

XLVII.

Ratione eventus, alii morbi dicuntur salutare & curabiles, qui ad salutem, & sanitatem terminantur, idque *vel per se, vel ex accidente*, ubi per se quidem, & simpliciter morbus salutaris non est, verum ob aliquod superveniens, ad salutem finitur; ut *Febris ardens* per se quidem benigna non est; verum ob aliquod superveniens, quale est Crisis, eaque perfecta, ad salutem finitur.

XLVIII.

Alii *ratione moris ipsius morbi* læthales sunt atque periculosi, idque etiam *vel per se & sua natura, ut pestis*, vel ex accidente, ubi morbus quidem per se læthalis non est, sed ob superveniens grave aliquod symptoma, vel alium aliquem morbum, læthalis fit. *ut rursus à tenuibus & acerbis destillationibus*: quæ non raro in phthisin mutatur vel abit. Vnde Hipp. 2. aph. 26. *ait πυρελὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γυνέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρελῷ* *Febrem convulsioni supervenire melius est, quam convulsionem Febri.* & 5. aphor. 2. *ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος θανάσιμος* *convulsio vulnere superveniens malum.*

XLIX.

Plures etiam morborum differentiz sumuntur à subiecto, &
quidem

quidem pro ratione diversitatis considerationis. Consideratur autem subiectum, (quod est corpus humanum) vel pro ratione Naturæ, vel temperamenti, vel ætatis, vel sexus, vel partis affectus, Ratione naturæ, vel temperamenti hi morbi huic, illi alteri naturæ, ut calidi morbi, temperamento calido, frigidi, frigido, familiares sunt &c.

L.

Ratione sexus alii proprie viriles, dicuntur quod solis viris eveniunt, ut scroti affectus, Priapismus &c. alii Muliebres, ut uteri suffocatio, mensium præter naturam affectus, & qui circa generationem contingere solent, & alii.

LI.

Ab ætate alii sunt pueriles, ut qui circa dentitionem accidunt, &c. alii iuvenum, quod huic ætati magis familiares sunt, ut febres tertianæ, vel ardentes, alii senibus, ut catharrhi, apoplexia &c.

LII.

A parte affecta alii dicuntur universales, qui universum corpus afficiunt, ut Febris & Tabes, alii particulares, qui certam aliquam partem occupant, ut & cæcitas, ophthalmia, catharacta, fistula lachrymalis, Angina, Pleuritis, Peripneumonia &c.

LIII.

A causis denique morborum differentia sumuntur, & alii dicuntur legitimi & exquisiti, qui à naturalibus causis oriuntur; alii spurii & illegitimi. Alii hæreditarii, qui à parentibus in liberos defeminantur, ut non raro Podagra, Phthisis &c. alii connati, qui una cum fœtu quasi nascuntur; ut membri alicuius mutilatio, & eiusmodi alii adscititii, qui post partum ab aliis causis fiunt. Alii dicuntur contagiosi & maligni, alii non contagiosi.

LIV.

Ab humoribus differentia etiam sumuntur, & alii sanguinei dicuntur ut phlegmone, synochus, febris, alii biliosi, ut Erysipelas, Febris tertiana; alii pituitosi, ut Oedema, Febris quotidiana; alii melancholici, ut scyrrhus, atque Febris quartana, & hi vel simplices sunt, seu puri & legitimi, vel nothi, & vel ex duobus humoribus compositi, ut phlegmone, erysipelatodes, ædematodes, scirrhus &c. Febris composita inter quas est *ἐμίστηται*, ex quotidiana continua, ex tertiana intermittente conflata, & aliæ tum ex eiusdem speciei, tum diversarum specierum febribus compositæ.

LV.

LV.

Atque hi omnes vel puri sunt & legitimi, qui ab uno saltem humore ortum habent, alii nothi, qui ex duorum, vel plurium humorum permistione fiunt: ut si sanguis misceatur bili, fit phlegmone ἐρισπιπελαλώδες si sanguis superet: si vero bilis superior sit ἐρισύπελας φλεγμονώδες & sic de aliis: ita in Febris si sola bilis causa sit, oritur Tertianæ exquisita, si alius humor bili permisceatur; fit Tertianæ spuria seu notha & sic de aliis.

LVI.

Ab anni temporibus etsi quidem Hipp. dum 3. aph. 19. & seqq. dicat νοσήματα πάντα ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεσθαι Quilibet in quibusvis anni temporibus morbi fiunt: mox tamen subjicit μάλλον ἐνία κατ' ἐνίας, αὐτέων καὶ γίνεσθαι καὶ παροξύνεσθαι nonnulli tamen in quibusdam ipsorum magis & fiunt & exacerbantur. (ut etiam in sequentibus aphorismis habet) alii dicuntur æstivi, qui æstate potius eveniunt, alii autumnales qui autumnō potius, alii hiemales, qui hieme, alii vernaes qui verno potissimum tempore molestare solent; ita alii diurni, qui interdium magis, alii nocturni, qui noctu magis affligunt, appellantur.

LVII.

Ratione regionis seu loci, alii dicuntur ἐνδήμιοι, qui uni alicui regioni, vel loco proprii sunt, & vernaculi vel patrii: ut est scorbutus ad mare Balthicum, atq; incolis ejus regionis familiaris: Bronchocele alpium incolis communis: Alii sunt ἐπιδήμιοι qui ejusdem speciei & plures, à communi aliqua causa invadunt, quorum Hipp. in Epidem. & Gal. 1. in 1. Epidem. ut & com. 1. in Hipp. de victu autorum tex. 9. meminit; & hi sunt, ut plurimum maligni, & vel pestilentes, vel etiam contagiosi.

LVIII.

Atque hæ duæ species communes morbos constituunt, & κοῖνοὶ vel παγκοῖνοὶ, vel etiam πανδήμιοι vocantur, quod eodem tempore plures corripunt, & quidem ejusdem speciei morbi.

LIX.

His contrarii sunt σποράδες, seu σποραδικοὶ, sparsi & sporadici dicti, ubi diversarum specierum morbi plures eodem tempore inficiunt, seu ut Gal. dict. 1. de vict. ac. text. 9. habet, qui sparsim, privatimque præhendunt, ægros discrepanter fatigantes, neque secundum modum

modum communium constantes, E. gr. alius febre, alius tussi, alius calculo, alius podagra, alius alio morbo præhendatur.

LX.

Sunt etiam morbi alii primarii, qui per se, primo corpus invadunt, nulla ab alio morbo accepta occasione, sed à sola causa oriuntur, & per *πρωτοπάθειαν* fieri dicuntur; alii sunt secundarii, seu consequentes, qui priorem sequuntur, & ab eo suæ generationis causam accipiunt: & per *δευτεροπάθειαν*, seu *συμπάθειαν* fiunt.

LXI.

Et si quidam *συμπάθεια* à *δευτεροπάθεια* aliquo modo differre videatur: *δευτεροπάθεια* enim esse dicitur ea, quæ *πρωτοπάθειαν* sequitur, seu quæ à primario morbo, uti modo dictum est originem trahit. *συμπάθεια* autem etiam est, quæ absque alio præcedente morbo oritur, causam vero ab alia aliqua parte, cum qua consensum habet accipit: ut cum vapores à ventriculo ad caput sursum feruntur, ibiq; intemperiem aliquam, vel dolorem faciunt.

LXII.

Atq; hoc modo *συμπάθειας* morbis opponuntur morbi per *ιδιοπάθειαν*, qui partem aliquam, absq; aliunde, & per consensum accepta causa afficiunt, vel à causa in eo loco in quo morbus est, genita fiunt, & constitutionem naturalem pervertunt.

LXIII.

Sunt etiam morbi alii solitarii, alii comitati, & hi quidem, qui symptoma aliquod peculiare, vel causam adhuc comitem habent. Illi vero qui soli subsistunt, & nihil tale conjunctum habent.

LXIV.

Sunt præterea alii recentes, qui paulo ante orti sunt: alii inveterati, qui diu in corpore hæserunt, idq; molestarunt.

LXV.

Sunt præterea morbi alii fientes *γινόμενοι*, qui causam adhuc conjunctam habent, & ab ea foventur, ita ut absque ea subsistere non possit, sed ea sublata, ipsi etiam evanescunt: alii *γεγονότοι* facti, seu *μόνιμοι* manentes appellati, qui sublata etiam causa à qua facti sunt, remanent.

LXVI.

Μόνιμος affinis aliquo modo est, & quasi ejus species *ἐπὶ πᾶσι*, in eo tamen differt ab eo, quod quemadmodum *μόνιμος* dicitur, omnis

omnis morbus factus, sive εὐλύτῳ sive δύσλύτῳ sit: ἐκτικὸς vero tantum is dicitur, qui difficulter solvitur, & δύσλυτος est: & huic opponitur χεπκὸς qui quidem etiam ex permanentium numero esse potest εὐλύτῳ tamen & facile solubilis est, ut febris ephemera.

LXVII.

Præter dictas differentias, aliæ quidem adhuc afferri posse videntur; cum tamen, si quis propositas diligenter perpenderit, facile se ex aliis extricare, iisque satis facere possit, plura non subiicimus, sed hic pedem figimus, & finem huic tractationi imponimus. Deo sit Laus & Gloria in secula seculorum.

COROLLARIA

Respond. per quinque; Medicinæ partes, apposita.

I.

Ex φυσιολογία.

An detur corpus neutrum? Aff.

II.

Ex Παθολογία.

An omnes Morbi acuti Febrim coniunctam habeant. Aff.

III.

Ex Σημειωτική.

An alvi excrementa inter signa ἐπιφανόμενα numeranda? A.

IV.

Ex Ὑγιεινῇ.

An lentes in variolis & morbillis prosint? Dist.

V.

Ex Θεραπευτική.

An assumpto Medicamento purgante dormire liceat? Neg.

Doctissimo Dn. Respondenti, Cognato suo per dilecto.

Per varios morbos, per tot discrimina carnis
Tendimus in superam, simplice mente, domum ;
Quot, qualesque potest nemo sat dicere, si vel
Centum illi linguæ, ferreaque ora forent,
Scilicet innumeris vitiis quoque subdimus artus :
Quid mirum est, illis ergo tot esse mala ?
Tu, Cognate, aliquid dicens bene re super ista,
Sic distingue, queas ut relevare mala :
Atque subinde animum sano cum corpore cura,
Ut valeas gemina parte, solo atque polo.
Ex asse in solidum medica sic Doctor in arte
Evades, multis utilis, atque tibi.

animitus gratulatur

Balthasar Scheid, Theol. Candid.
& Hebrææ linguæ Prof.

II.

Eximio & Doctissimo Dn. Andrea Schillingio,
Philosophiæ Magistro, & Medic. Studioso,
Cognato meo.

Purima votiva referunt contracta tabella,
Grato animo prompta exuperante manus.
Sic quæcunque olim virtus doctrinaque spondent
Fausta tibi numeris hic voveo brevibus.
Et licet hæc properarit amor : tamen otia nobis
Linquentur, meritis par queam ut esse tuis.

Ex tempore scrib.

Robertus Kænigsmannus.

Doctissimo Dn. Respondenti.

Quis mihi tot cœtus inter populi que patrumque,
 Sit curæ, votique locus? quô Epidauria proles,
 Artis Apollineæ, possim tibi pangere, Cultor,
 Carmina. Nectenuiore lyrâ coleris; nec honora
 Plectra sonent mea vis concepta Heliconis in ostrô.
 Talia despicias! fas sit mihi dicere. Phœbum
 Solventem video, voces, tua fata docentem:
 Maecte animi virtute, meos imitate labores,
 Ingenii opibus, Parcarum fila tenebis,
 Extendesque colos, vario medicamine pestes
 Avertes, luctus, & tristia damna vetabis.

Amicæ gratulationis E.

apposuit

Georgius Fridericus Stoffelius,
 Montbelgardensis.

